The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium lib. 6 (fol.57ra-vb)

1. Ego uidi stultum firma radice. quasi firma radice stultus attollitur quando hic temporali prosperitate fulcitur ut omne quod appetit assequatur aduersa nulla sustineat. contra infirmos sine repugnatione preualeat. bene agentibus ex auctoritate contradicat. ad maiora commoda ex peiori semper actione perueniat. et unde uiam uite deserit inde ad tempus felicior uiuat.

   Ego uidi stultum firma radice et maledixi pulchritudini eius statim…. Quasi firma radice stultus attollitur quando hic temporali prosperitate fulcitur. Vt omne quod appetit assequatur, aduersa nulla sustineat contra infirmos sine repugnatione praeualeat, bene agentibus ex auctoritate contradicat; ad maiora commoda ex peiori semper actione perueniat, et unde uiam uitae deserit inde ad tempus felicior uiuat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.288-9, ll.1-2, 6-12). cf. Iob 5:3

2. Et maledixi pulcritudini eius statim. pulcritudini stulti maledicere est eius gloriam ex considerata dampnatione reprobare. quia eo atrocius in tormentis obruetur quo alcius in peccatis eleuatur. quia transit quod extollitur permanet quod punitur. quia honoratur in uia in peruentione dampnabitur. et quasi per amena prata ad carcerem peruenit qui per presentis uite prospera ad interitum tendit.

   Bene ergo dicitur: *Ego uidi stultum firma radice et maledixi pulchritudinem eius statim*. Pulcritudinem quippe stulti maledicere, est eius gloriam ex considerata damnatione iudicare quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis eleuatur, quia transit quod extollitur, permanet quod punitur. Quia honoratur in uia, in peruentione damnabitur. Et quasi per amoena prata ad carcerem peruenit qui per praesentis uitae prospera ad interitum tendit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.288-9, ll.21-29). cf. Iob 5:3

3. Cuius messem famelicus comedet. messem stulti famelicus comedit quia is qui ad deum sanctis desideriis anelat discit quod audit agit quod didicerit. et dum doctoris praui recta predicatione reficitur quid aliud quam stulti fruge saciatur?

   Cuius messem famelicus comedet…. Quia ergo stultus iste recta et intellegit et dicit, sed tamen haec operando non amat, messem habendo ieiunat. Quam nimirum famelicus

comedit, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit, et dum doctoris praui recta praedicatione reficitur, quid aliud quam stulti fruge satiatur?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.8 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.290-1, ll.1, 6-11). cf. Iob 5:5

4. Et bibent sicientes diuicias eius. stulti diuicias sicientes bibunt dum precepta dei que ingeniosi fastidientes nesciunt hebetes amantes assecuntur. in hiis tenebras nimirum hebitudinis illustrat oculus amoris. nam hoc tardioribus sitis aperit quod uelocioribus fastidium claudit.

   Et bibent sitientes diuitias eius…. Huius ergo stulti diuitias sitientes bibunt dum praecepta Dei, quae ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur. In his nimirum tenebras hebetudinis illustrat oculus amoris; nam hoc tardioribus sitis aperit quod uelocioribus fastidium claudit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.10 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.291-2, ll.1, 14-18). cf. Iob 5:5

5. Per salomonem dicitur. stellio manibus nititur et. moratur in edibus regis. sepe ingeniosi quique dum per negligentiam torpent in prauis actibus remanent. et simplices quos ingenii penna non adiuuat ad optinenda eterni regni menia uirtus operationis leuat. stellio ergo dum manibus nititur in regis edibus moratur quia illo simplex per intentionem recti operis peruenit. quo ingeniosus minime ascendit.

   Vnde bene per Salomonem dicitur: *Stellio manibus nititur et moratur in aedibus regis*. Plerumque enim aues quas ad uolatum pennae subleuat, in uepribus resident; et stellio qui ad uolatum pennas non habet, nitens manibus regni aedificium tenet quia nimirum saepe ingeniosi quique dum per neglegentiam torpent in prauis actibus remanent, et simplices quos ingenii penna non adiuuat, ad obtinenda aeterni regni moenia uirtus operationis leuat. Stellio ergo dum manibus nititur, in regis aedibus moratur quia illo simplex per intentionem recti operis peruenit, quo ingeniosus minime ascendit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.10 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.292, ll.21-31). cf. Prou. 30:28

6. Nichil fit in terra sine causa. idcirco sepe et desidiosus ingenium accipit ut de negligentia iustius puniatur quia quod sine labore assequi potuit scire contempnit. et idcirco non nunquam studiosus tarditate intelligentie premitur ut eo maiora premia retributionis inueniat quo magis in studio inuentionis elaborat. nichil est ergo in terra sine causa.

quando et studioso tarditas ad premium proficit. et desidioso uelocitas ad supplicium crescit.

Nihil in terra sine causa fit. Idcirco enim saepe et desidiosus ingenium accipit, ut de neglegentia iustius puniatur, quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit. Et idcirco nonnunquam studiosus tarditate intelligentiae premitur, ut eo maiora praemia retributionis inueniat, quo maius in studio inuentionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa quando et studioso tarditas ad praemium proficit et desidioso uelocitas ad supplicium crescit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.293, ll.1-8). cf. Iob 5:6

7. De humo non egredietur dolor. pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. orbis terrarum cum domino contra insensatos pugnat quando in pena delinquencium elementorum aduersitas militat. sed tamen de humo dolor non egreditur quia res quelibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostre actionis excitatur. de humo dolor non egreditur quia nequaquam pena de ea nascitur creatura que percutit sed de ea procul dubio que peccando uim percussionis extorsit.

   Et de humo non egreditur dolor…. In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc, quod quidam sapiens de Domino testatur, dicens: *Et pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*. Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat quando in poena delinquentium et elementorum aduersitas militat. Sed tamen de humo dolor non egreditur, quia res quaelibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostrae actionis excitatur. De humo dolor non egreditur quia nequaquam poena de ea nascitur creatura quae percutit, sed de ea procul dubio quae peccando uim percussionis extorsit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.12 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.293-4, ll.1, 12-22). cf. Iob 5:6; Sap. 5:21

8. Homo ad laborem nascitur et auis ad uolatum. quia inde mens ad summa euolat unde caro in infimis durius laborat.

   Homo ad laborem nascitur, et auis ad uolandum…. Homo ergo ad laborem nascitur et auis ad uolandum, quia inde mens ad summa euolat unde caro in infimis durius laborat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.13 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.294, ll.1-2, 10-12). cf. Iob 5:7

9. Homo ad laborem nascitur. quia ille huius mundi mala ueraciter sentit qui eius bona inhianter appetit. et auis ad uolatum. quia tanto animus a laboris afflictione se subtrahit quanto per spem ad summa se sustollit.

Homo ergo ad laborem nascitur quia ille huius mundi ueraciter mala sentit, qui eius bona inhianter appetit…. Bene itaque subditur: *Et auis ad uolandum*. Quia tanto animus a laboris afflictione se subtrahit, quanto per spem ad summa sustollit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.13 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.295, ll.30-32, 33-36). cf. Iob 5:7

10. *Beatus homo qui corripitur a domino*. quia per hoc quod peccator dolore corruptionis premitur quandoque ad beatitudinem que sine interuentu est doloris eruditur.

    Quamuis ergo conuenire simul nequeant dolor et beatitudo, recte tamen nunc dicitur: *Beatus homo qui corripitur a Domino*, quia per hoc quod peccator dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem quae sine interuentu est doloris, eruditur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.23 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.313-14, ll.21-26). cf. Iob 5:17

11. Quia ipse uulnerat et medetur. dominus uulnerando ad salutem reuocat cum electos suos affligit exterius ut interius uiuant.

    Quia ipse uulnerat et medetur; percutit et manus eius sanabunt…. Vulnerando ergo ad salutem reuocat cum electos suos affligit exterius, ut interius uiuant.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.25 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.314, ll.1-2, 5-6). cf. Iob 5:18

12. Percussa anima dei spiculis uulneratur in intimis affectu pietatis. ardet desiderio contemplationis et miro modo uiuificatur ex uulnere que prius mortua iacebat in salute estuat anelat et iam uidere desiderat. quem fugiebat. percussione ergo ad salutem reducitur que ad securitatem quietis intime amoris sui perturbatione reuocatur.

    Male enim sana anima, atque in huius exsilii caeca securitate prostrata, nec uidebat Dominum, nec uidere requirebat; percussa autem caritatis eius spiculis, uulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis et miro modo uiuificatur ex uulnere quae prius mortua iacebat in salute. Aestuat, anhelat et iam uidere desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducitur quae ad securitatem quietis intimae amoris sui perturbatione reuocatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.25 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.315, ll.20-28).

13. In sex tribulationibus liberabit te et in septima non tanget te malum et cetera. in sex tribulationibus nos dominus liberat ne nos in septima malum tangat. quia per paterne pietatis eruditionem presentis uite nos labore atterit. sed in aduentu iudicii a uerbere

abscondit ut tanto tunc ad salutem certiores exhibeat quanto nunc nos flagella durius secant.

In sex tribulationibus liberabit te et in septimo non tanget te malum…. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat ne in septima malum tangat, quia per paternae pietatis eruditionem praesentis uitae labore nos atterit, sed in aduentu iudicii a uerbere abscondit, ut tanto tunc ad salutem certiores exhibeat quanto nunc nos flagella durius secant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.26 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.315-16, ll.1-2, 9-13). cf. Iob 5:19

14. In fame eruet te de morte et in bello de manu gladii. quia reprobi dum fame uerbi dei deficiunt etiam belli gladio transfiguntur. electos suos dominus et in fame a morte eripit et in bello a gladio abscondit. quia eorum mentes dum uerbi sui pabulo reficit contra temptationes corporis fortes reddit.

    In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii…. Quia igitur reprobi dum fame uerbi Dei deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur; electos suos Dominus et in fame a morte eripit et in bello a gladio abscondit quia eorum mentes dum uerbi sui pabulo reficit, contra temptationes corporis fortes reddit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.316, ll.1-2, 11-15). cf. Iob 5:20

15. A flagello lingue absconderis. Sancta anima a flagello lingue absconditur quia dum in hoc mundo honorem laudis non querit nec contumelias detractionis sentit.

    A flagello linguae absconderis…. Sancta ergo anima a flagello linguae absconditur quia dum in hoc mundo honorem laudis non quaerit, nec contumelias detractionis sentit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.28 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.317, ll.1, 14-16). cf. Iob 5:21

16. Et bestie terre pacifice erunt tibi. inde cum deo pax robustior oritur unde nobis ab aduersariis pugna durior generatur. et scies quod pacem habeas tabernaculum tuum. pax nostra ex desiderio conditoris inchoatur ex manifesta autem uisione perficitur. plena quippe tunc erit cum mens nostra nec ignorancia cecatur nec carnis sue impugnatione concutitur.

    Et bestiae terrae pacificae erunt tibi…. Inde ergo cum Deo pax robustior oritur, unde nobis ab aduersariis durior pugna generatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.320-1, ll.1, 10-12). cf. Iob 5:23

Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum….. Pax enim nostra ex desiderio conditoris inchoatur, ex manifesta autem uisione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra nec ignorantia caecatur, nec carnis suae impugnatione concutitur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.34 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.322, ll.1-2, 7-10). cf. Iob 5:24.

17. Et uisitans speciem tuam non peccabis. speciem suam uisitat quisquis ad eum quem sibi similem per naturam conspicit passibus amoris tendit. ut in altero sua considerans ex seipso colligat qualiter infirmanti alteri condescendat. speciem suam uisitat qui ut in se alterum reficiat se in altero pensat. et scies quia multiplex erit semen tuum. ille bene loquendi facundiam precipit qui sinum cordis per recte uiuendi studia extendit. nec loquentem consciencia prepedit cum uita linguam antecedit.

Et uisitans speciem tuam, non peccabis…. Speciem ergo suam uisitat, quisquis ad eum quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit; ut in altero sua considerans, ex se ipso colligat, qualiter infirmanti alteri condescendat. Speciem suam uisitat qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.322-3, ll.1-2, 6-10). cf. Iob 5:24

Et scies quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua sicut herba terrae…. Ille namque bene loquendi facundiam habet qui sinum cordis per recte uiuendi studia extendit. Nec loquentem conscientia praepedit cum uita linguam antecedit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.324, ll.1-2, 7-10). cf. Iob 5:25

18. Ingredieris in habundancia sepulcrum. actiua uita sepulcrum est quia a prauis nos operibus mortuos tegit. sed contemplatiua perfectius sepelit quia a cunctis mundi actionibus funditus diuidit.

Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur aceruus in tempore suo…. Actiua quoque uita sepulcrum est quia a prauis nos operibus mortuos tegit; sed contemplatiua perfectius sepelit quia a cunctis mundi actionibus funditus diuidit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.325, ll.1-2, 8-11). cf. Iob 5:26

19. Non perfectus predicator est qui uel propter contemplationis studium operanda negligit uel propter operationis instanciam contemplanda postponit.

    Neque enim perfectus praedicator est, qui uel propter contemplationis studium operanda neglegit, uel propter operationis instantiam contemplanda postponit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.325, ll.15-17).

20. Bis tinctus cocus offerri precipitur ut uidelicet ante interni iudicis oculos caritas nostra dei et proximi dilectione coloretur quatinus conuersa mens nec sic pro amore dei quietem diligat ut curam proximi utilitatemque postponat nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat ut quietem funditus deserens ignem in se superni amoris extingat.

    Sed bis tinctus coccus offerri praecipitur ut uidelicet ante interni iudicis oculos caritas nostra Dei et proximi dilectione coloretur; quatenus conuersa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat ut curam proximi utilitatemque postponat; nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris exstinguat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.326, ll.46-51).

21. Non nulli hominum ita otiose mentis sunt ut si eos labor occupationis excipiat in ipsa operis inchoatione succumbant. et non nulli ita inquieti sunt ut si uacationem laboris habuerint grauius laborent. quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant quanto eis licentius ad cogitationes uacat. unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet nec inquietam studium contemplationis angustet. Sepe enim qui contemplari deum quieti poterant occupationibus pressi ceciderunt. et sepe qui occupati bene humanis usibus uiuerent gladio sue quietis extincti sunt.

    Nonnulli namque hominum ita otiosae mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis incohatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt ut si uacationem laboris habuerint, grauius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes uacant. Vnde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Saepe enim qui contemplari deum quieti poterant occupationibus pressi ceciderunt. Et saepe qui occupati bene humanis usibus uiuerent gladio suae quietis exstincti sunt.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.326-7, ll.57-67).

22. Bonum est tibi cum uno oculo et cetera. ac si aperte diceret. cum ad contemplatiuam uitam idonea discretione non sufficis solam securius actiuam tene.

Quibus recte hoc quod praefati sumus, Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te. Bonum tibi est cum uno oculo in uitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*…. Ac si aperte diceret: Cum ad contemplatiuam uitam idonea discretione non sufficis, solam securius actiuam tene.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.327, ll.83-88). cf. Matth. 18:9

23. Sepe et pigras mentes amor ad opus excitat et inquietas in contemplatione timor refrenat. anchora enim cordis est pondus timoris.

    Sed inter haec sciendum est quia saepe et pigras mentes amor ad opus excitat et inquietas in contemplatione timor refrenat. Ancora enim cordis est pondus timoris; et plerumque fluctu cogitationum quatitur sed per disciplinae suae uincula retinetur; neque hoc tempestas suae inquietudinis ad naufragium pertrahit, quia in diuini amoris litore perfecta caritas astringit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.328, ll.110-116).

24. Necesse est ut quisquis ad contemplationis studia properat semet ipsum prius subtiliter interroget. quantum amat. machina quippe mentis est uis amoris que hanc dum a mundo extrahit in alta sustollit. prius ergo discuciat si summa inquirens diligit si diligens timet. si nouit incognita aut amando comprehendere aut non comprehensa timendo uenerari. in contemplatione etenim mentem si amor non excitat teporis sui torpor obscurat. si timor non aggrauat sensus hanc per inania ad nebulam erroris leuat.

    Vnde necesse est ut quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum prius subtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mentis est uis amoris quae hanc dum a mundo extrahit in alta sustollit. Prius ergo discutiat, si summa inquirens diligit, si diligens timet, si nouit incognita aut amando comprehendere aut non comprehensa timendo uenerari. In contemplatione etenim mentem si amor non excitat, teporis sui torpor obscurat, si timor non aggrauat, sensus hanc per inania ad nebulam erroris leuat; et cum clausa ei secretorum ianua tardius aperitur, ab ea longius ipsa sua praesumptione repellitur; quia irrumpere appetit hoc quod non inueniens quaerit; cumque superba mens errorem pro ueritate percipit, quo quasi intus gressum porrigit, foras tendit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.328-9, ll.116-129).

25. Si bestia tetigerit montem lapidabitur bestia etenim montem tangit cum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit. sed lapidibus percutitur. quia summa non sustinens ipsis superni ponderis ictibus necatur. qui ergo culmen perfectionis apprehendere nituntur cum contemplationis arcem tenere desiderant. prius se in campo operis per exercitium probent ut sollicite sciant si nulla iam mala proximis irrogant si irrogata a proximis equanimiter portant. si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens leticia soluitur si subtractis. non nimio merore sauciatur. ac deinde perpendant si cum ad semet ipsos introrsus redeunt in eo quod spiritualia rimantur nequaquam secum corporalium rerum umbras trahunt. uel fortasse tractas manu discretionis abigunt. Si incircumscriptum lumen uidere cupientes cunctas circumscriptionis sue imagines deprimunt. et in eo quod super se contingere appetunt uincunt quod sunt.

Vbi et recte dicitur: *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. Bestia etenim montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent ut sollicite sciant si nulla iam mala proximis irrogant; si irrogata a proximis aequanimiter portant; si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens laetitia soluitur, si subtractis non nimio moerore sauciatur; ac deinde perpendant si cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritalia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt, uel fortasse tractas manu discretionis abigunt; si incircumscriptum lumen uidere cupientes, cunctas circumscriptionis suae imagines deprimunt, et in eo quod super se contingere appetunt, uincunt quod sunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.329, ll.137-153). cf. Hebr. 12:20

26. Vnde recte nunc dicitur. ingredieris in habundancia sepulcrum. ubi quippe perfectus sepulcrum in habundancia ingreditur. quia prius actiue uite opera congregat et postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum huic mundo funditus occultat.

Vnde recte nunc dicitur: *Ingredieris in abundantia sepulcrum*. Vir quippe perfectus sepulcrum in abundantia ingreditur, quia prius actiuae uitae opera congregat, et postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum, huic mundo funditus occultat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.329, ll.153-158). cf. Iob 5:26

27. Post lye complexus ad rachelem iacob peruenit. quia perfectus quisque ante actiue uite ad fecunditatem coniugitur. et post contemplatiue ad requiem copulatur.

    Post Liae ergo complexus ad Rachelem Iacob peruenit quia perfectus quisque ante actiuae uitae ad fecunditatem iungitur et post contemplatiuae ad requiem copulatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.330, ll.187-190).

28. Marthe cura non reprehenditur marie uero etiam laudatur. quia magna sunt actiue uite merita sed contemplatiue potiora. Vnde nec auferri unquam marie pars dicitur quia actiue uite opera cum corpore transeunt contemplatiue autem gaudia melius ex fine conualescunt.

    Sed Marthae cura non reprehenditur. Mariae uero etiam laudatur, quia magna sunt actiuae uitae merita, sed contemplatiuae potiora. Vnde nec auferri umquam Mariae pars dicitur, quia actiuae uitae opera cum corpore transeunt, contemplatiuae autem gaudia melius ex fine conualescunt.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.331, ll.201-205).

29. Manus alterium sub penis sunt. Quia actionis sue opera uirtute contemplationis uincunt. auditur mente pertracta.

    Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suae opera uirtute contemplationis uincunt.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.331, ll.213-215).

30. Quam talibus doctrina mens polleat grauis eius impericia est uelle docere meliorem.

    Quantalibet doctrina mens polleat, grauis eius imperitia est uelle docere meliorem.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.39 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.333, ll.1-3).

31. In omne quod dicitur necesse est ut causa tempus et persona pensetur. Si uerba sentencie ueritas roborat. si hanc tempus congruum postulat si et ueritatem sentencie et congruenciam temporis persone qualitas non impugnat.

    In omni ergo quod dicitur, necesse est ut causa, tempus et persona pensetur; si uerba sententiae ueritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si et ueritatem sententiae et congruentiam temporis personae qualitas non impugnat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.39 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.333, ll.7-10).